

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptvarii exequialis pars ...

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive
scripturae dicta varia ...

Bidembach, Felix

Francofurti, 1625

Thema CVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

ergastulo huius corporis inclusa est. Vbi interdum affectus plus satis dominantur, qui bona consilia non admittunt. Regendi itaq; illi & moderandi semper, ne plus nocent, quam prosint. Et cauendum, ne anima ultra quam par sit grauetur iis. Ideoque cum omnibus creaturis exortanda illi liberatio, ex hac vanitate atque corruptione, cui subiecta est, Rom. 8. v. 22. & 19. Cupiamus itaque de se solui, Phil. 1. v. 23. vt liberetur anima, & fruatur gaudio.

II. Notanda similitudo, & de tabernaculo terreno, cui comparatur corpus humanum. De qua infra in explicatione dicti, 2. Cor. 5. v. 1.

III. Non insultandum his, qui interdum satis crasse errant in suis consiliis, licet bonum habeant finem propositum. Sunt enim homines, & carnem gestant, quae grauat animam. Ideoque commiseratione potius digni. *Grosste Leuth sehlen auch*, Psal. 62. v. 10. David fugiens ad Achis Philistinorum Regulum, 1. Sam. 27. Erat enim in faustum consilium.

F I N I S.

T H E M A C V I I.

Sap. 16. v. 12. & 13.

Neque herba, neque malagma sanauit eos, sed tuus Domine sermo, &c.

Tu enim potestatem habes Domine, &c.

D I S P O S I T I O.

Siquae spargeretur per hanc Prouinciam fama constans, de Medico quodam celeberrimo, qui omnibus morbis medicinam facere posset, bone Deus, quantus foret hominum omnis sexus, aetatis, conditionisque ad ipsum concursus. Ecce autem hoc loco Sapiens nos deducit in Verus Testamentum, & non Medicum tantum, sed & Medicinam monstrat salutarem, contra omnes eos morbos, quos nec herba, neque malagma, neque simplex, neque

que compositum pharmacum sanare potest. Et quæ vere est *Panacea*, omnibus medelam adferens? Quid hoc rei? In memoriam reuocat nobis, quid Israelitis in deserto acciderit, cum per serpentes ignitos fuissent læsi, & non nisi singulari miraculo sanari potuissent: scilicet opera Medici omnipotentis. Quia autem Paulus, dum hanc ipsam historiam nobis refert (1. Cor. 10. v. 9.) addit, vers. 11. Hæc omnia figuræ fuerunt illis. Scripta vero sunt propter admonitionem nostri, in quos termini ætatum inciderunt.

Videamus itaque 1. Quanta morbi fuerit vehementia, quod non potuerunt curari opera vlla medica.

2. Quam illis Dominus Medicus omnipotens medicinam fecerit.

3. Et quare hæc vna potius, quam omnia alia medicina ipsis fuerit salutaris.

I. Pars.

Exat historia de Israelitis fastidientibus Manna illud coeleste, Numer. 21. v. 5. Iratus itaque ipsis Dominus, immitit serpentes qui illos suis moribus venenatis crudelissime occidebant.

Illi ab effectu fuerunt dicti igniti serpentes. Et iudicant docti, fuisse *dracōnes*. Nam *dracō* est figura viperæ, longitudine palmi, tota nigris compuncta maculis, nomen ab effectu habens. Sic enim in iis, quos fauciat & veneno suo imbuit, accendit inextinguibilem: qua velut ardenti flamma vruntur interius, adeo vt & rumpantur quandoque, vt plurimum vero consumantur.

Contra talem morsum non est dubium, quin adhiberint varia medicamenta vt sunt cataplasmata, herbæ & cætera alexicaca atque alexipharmaca, &c. At ex his vllum ipso sensisse leuamen, Sapiens auctor est. Et attipulatur illi historia Mosis, quæ restatur ingentem populi multitudinem sic fuisse consumptam vi morbi. Erat enim hæc pœna ipsis diuinitus inflata, vt sic crudelissime

enecarentur impii. Contra mortem autem diuinitus decretam, nullum valet remedium humanum.

Lo e v s. Verum utiq; manet antiquum illud proverbium, Contra vim mortis non herba virescit, nec frutex crescit, nec est medicamen in hortis.

Hoc sic intelligendum est: vbi finis vitæ & terminus à Deo constitutus adest: vel vbi Deus singulariter vult punire: aut cum ipse Decretum de morte fecit ibi tum nullam prodesse medicinam.

Quia autem nobis hora mortis certa & decretum Dei sunt incognita, utiq; Medicorum & Medicinæ opera vtendum: tanquam legitimis mediis à Deo ordinatis, Syr. 38. v. 2.

Alioquin hoc esset tentare Deum, contemnere medicinam, quod sapiens non facit, Ibi d. v. 4.

Neq; enim semper & vbiq; Deus absolute, sine medica opera, vult dare sanitatem. Exemplum Ichiskia. Cui donati sunt anni vitæ 15. ita tamen si emplastro vtatur iussu Prophetae adhibito Quod si id contempsisset temere, irritam fecisset illam Dei promissionem de longauitate, & periisset sua culpa. Quia id tanquam conditione singularem addidit Propheta. Vide Esa. 38. 2. Reg. 20. v. 7. Sic multi contemptores Medicinæ, & temerarii atq; audaculi, Deum tentantes, pereunt sua temeritate, quia amant periculum, Syr. 3. v. 27. qui potuissent diutius viuere, si mediis ordinariis vti voluissent.

At inquis, putabam terminum sic constitutum, vt non possit præteriri? Hiob. 14. v. 5.

Resp. Constituit Deus terminum, sed nunquam absolute fatalem: ve tum semper sub certa conditione; Vt faciat homo, quod ex iussu verbi diuini debeat. Sic enim vel protrahere vitam, vel decurrare potest. Interim non fallitur Dominus. Quia semper præuidet, quid euenturum. Neq; tamen præuisio illa hominē impellit ad hoc vel illud faciendum. Si autem aliter fuisset euenturū, id ipsum etiam præuidisset Dominus, sed redeamus ad institutum.

Dum

Dum vero medicina volumus, vt debemus, vti, probe notandum, qua medicinâ vtendum. Multi accurrunt ad Magos & alios Incantatores, aut diuinos (vt vocat scriptura, nos vero *Warsager* / *Segensprecher* appellamus) qui partim scriptis aut recitatis variis (quas sic illi, sed plane contrario sensu, vocant) benedictionibus volunt morbos curare: partim aliis superstitionib. plus damni dant, Vbi magnus in primis abusus est nominis sacrosanctæ Trinitatis. Et tamen multi has superstitiones longissime ætateponunt medicinæ legitimæ. Paulo hi sunt meliores (si tamen sunt) Ahasia, consulente Idolum, imo Diabolum in Ekron, Baalsebab. 2 Reg. 1. v. 2. Vide ibi. Et multi dum sanitatem corporis ab illis impostoribus petunt, animæ sanitatem amittunt, suffocati scil. in illis superstitionibus. Quamuis autem Israelitæ alioquin fuerint factis impij, hoc tamen non legitur hic, quod talia remedia quæserint, sed quod herbis & emplastris, hoc est, ordinariis & legitimis medijs fuerint vsi.

Idem imitandum omnibus Christianis. Ogganniunt pleriq; tales: Vsus sũ hæcenus legitimis medijs, sed frustra. Adeoque conuerſi me ad alia, & sentio maiorem vim illorum esse (quæ tu illegitima vocas) quam cæterorum medicamentorum? &c. Resp. Ergone pro Deo ad Diabolum transibis: dum ille affligit & premit, hic vero parcit, Vide quid tandem de te sit futurum?

Interdum valet id: Cum cessant Dæmones affligere: curasse videntur.

Interdum permittit Deus, vt videantur illegitima media plus conferre ad sanitatem, quam ordinaria: vt sic iusto Dei iudicio puniantur, & in superstitionibus suis cõfimentur, atq; pereant, hi, qui magis Diaboli mendacis, quam Dei veracis opera delectantur.

I. Regula.

Frustra adhibitam omnem medicinam humanam amoribus illis venenatis serpentum audiuiſus. Tamen

Y 4 cura.

curati fuere Israelitæ plurimi, alioquin omnes periruri, Deus autem illis medicinam fecisse traditur. Postquam enim per pœnitentiam reuersi sunt ad Deum, posuit illis serpentem æneum, salutare signum, Sapient. 16. versic. 6. Id per se non sanasset, sed Deus addidit verbum hoc: Quisquis aspexerit illum percussus à serpente *viuet*. Hæc hæc est illa medicina, de qua hic dicitur, Verbum tuum sanauit illos.

Addit autem hanc esse veram illam medicinam vniuersalem, & Panaceam. *Omnia* namque *sanat verbum tuum*, ait Sapiens.

D I S C I M V S. I. Quis verus medicus, ad quem in omnibus deploratis suis etiã morbis, sit confugiendum: Deus scilicet, qui se talem esse proficitur, Exod. 15. in fine. Ego Deus tuus sanans te, Deut. 32. v. 39. Ego sanare possum.

Huius quoque filius eãdem edoctus artem, omnes in firmitates sanauit, etiã eorum, qui videbantur in curabiles omnino: vt 8. annorum languidi, Joan. 5. v. 8. Menstruatæ quæ omnem substantiã erogauerat in Medicos, Marc. 5. Incuruatæ tot annis, Luc. 13. v. 12.

Et qui mortuos in vitam reuocare potuit, quomodo non omnibus morbis faciat medicinam? Hoc etiã argumento hic veitur Sapiens, de quo in tertia parte post sequetur.

2. Medicina autem & pharmacum, *Das Recept* die *Experimenten*, quibus veitur Dominus probe commendantur: *Verbum Domini Omnia sanare dicitur. Sicut alle Schaden quir*. Scil. contra morbos animi & corporis, spirituales & corporales internos & externos. Quantum ad morbos animæ spirituales, de his Dauid Psal. 103. v. 3 *Qui sanat omnes infirmitates*, scilicet, hoc ipso Alexipharmaco, contra tentationes, tãquam spicula venenata, *Verbo*. Hoc autem verbo, quod promittit remissionem peccatorum propter Christum.

Tale pharmacum est id, Psalmo eodem, versu eodem, *Ela. 3. v. 5. Liuore illius sanati*, Et Mich. 7. v. 19.

Idem

Idem Christus propinavit ægris, quorum se Medicum esse profiteretur, (Matth. 9. v. 11.) cap. 18. v. 11. Idem Paulus, 1. Tim. 1. v. 5. & 2. v. 4. Ioannes, 1. Ioan. 1. v. 8. & 2. v. 2. & cap. 1. v. 9. Sic tota scriptura est instar pharmacopolii instructissimi.

Et notandum, quod Ixos ab antiquo serpente, Apoc. 12. v. 9. adhuc vult vti eadem medicina, qua olim, vt aspiciant serpentem æneum. De quo Ioan. 3. v. 14. & 15. Additur verbum: qui crediderit, viuet: sicut olim, qui aspexerit, viuet.

Quantum ad morbos corporis atinet, certe idem Medicus potest sanare vno verbo. Nec vnaquam felix erit v-sus medicinæ, nisi Dominus verbum suum addat, & dicat volo te esse sanum.

Ideoque Syrach vult ipsum ante omnia alia rogari pro sanitate: Et tum demum adhiberi remedia. Addit posse fieri vt hoc vnum conferat sanitatem. Vide Syr. 38. v. 13. & præced. 9.

3. Vbi notandum hoc quod hic Medicus omnipotens à nobis conduci possit, & ab omnibus quidem, nec difficulter, nec multo pretio, non auro & argento: sed hac tantum ratione, qua ipsius operam requisierunt olim Israelitæ, cum à serpētibus necarentur. Vide Num. 21. v. 7. Legimus enim ipsos i. egisse pœnitentiam & confessos suam culpam 2. Preces fudisse ad Dominum, & Moïsi quoque intercessionem pro ipsis efflagitasse 3. atq; ex fide iuxta mandatum Domini aspexisse serpentem æneum erectum. His itaque factis, salutaris illis fuit medicina verbi Dei, quod paucis constabat literis [*Vinet*] Vide ibi. Idem verbum etiam dicit Dominus ad nos ægros: si id salutis nostræ viderit commodum.

Quod si non dicat (*Vives*) sed potius id quod Hiskia, Moricis & non viues, Esa. 38. hoc est, si non velit corporaliter te viuere, tamen in æternum te viuere faciet. Tu vero & in corporalibus morbis cum Hiskia, Esa. 38. v. 2. & magis in infirmitatibus spiritualibus implorabis huius

Medici auxilium, iuxta id, Sana me Domine, Pfalm. 6. v. 3. & 4. v. 5.

III. Pars.

Quare autem nulla alia medicina Israelicis salutem attulerit, quam illa Dei medicina: rationem in fine addit Sapiens: Quia tu habes vitæ & mortis potestatem. Is enim qui vitam & mortem in sua manu habet, potest eligere quod vult & vel viuificare vel mortificare. Quia vero hoc de hominibus neutriquam dici potest, ideoque illi etiam sanare non possunt cum volunt. At Deus viuificare non tantum, sed & ex inferno (qui in scriptura sæpius significat sepulchrum) reducere potest. Idem vero in sepulchrum, imo ad inferos detrudere & occidere potest, quem vult.

[NOTA. De cæteris verbis, Ducis ad inferos & reducis, vide supra in hac parte Promptuarii Dispositionem Thematis XIX.

Non autem proprie ad præsens institutum faciunt, ideoque hic cætera omittuntur.]

LOCVS. Discimus, quare non sit in Medico semper, & eleuetur vt æger: scilicet, quia Medicus non habet in sua manu vitam & mortem, vt possit viuificare & mortificare sicut Deus. Alioquin non ipsi etiam excellentissimi Medici morerentur.

1. Stulti igitur sunt, qui à Medicis volunt exorquere sanitatem: & idem faciunt quod NebucadNazar olim volens exorquere à suis diuinationem, quam non noxant, Dan. 2. v. 10.

2. Stulti etiam, qui magis in Medicis confidunt, quam in Deo, & magis ipsos quærunt, sicut Afa, 2. Par. 16. v. 16. Cum illi non possint sanare, si non velit hoc is, qui vitæ & mortis habet potestatem.

Ad hunc igitur primo loco confugiendum: sicut iam in 2. parte supra est dictum, &c.

F I N I S.

THE.